



Disputatio medica inauguralis de iliaca passione

<https://hdl.handle.net/1874/345205>

51.

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
ILIACA PASSIONE,

QUAM
FAVENTE DEO TER OPT. MAX.

Auctoritate Magnifici D. Rectoris,

JACOBI VALLAN,

M. D. Praxeos, & Institut. Med. Professoris Ordinarii,

NEC NON

Amplissimi Senatus Academicī Consensu, ac Nobilissime

Facultatis MEDICÆ Decreto,

PROGRADU DOCTORATUS

Summisque in MEDICINA Honoribus, & Privilegiis, ritè
& legitimè consequendis,

Publicè ventilandam proponit

EDMUNDUS DEVIS, ANGLUS.

Ad diem 15. Martii, horis locoque solitis.



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiæ
Typographi, clc Icc xcii.

Avunculis suis plurimum honorandis,

- D. D. EDMUNDO MAKEPEACE,
Aldermanno Seniori Warwicensi, ac pacis Justiciario,
Corporisque ibidem Politici, quoad libertatem & pri-
legia defensori strenuo.
- D. D. JOHANNI MAKEPEACE,
Ecclesiae Anglicanæ à Sacris doctissimo æquè ac fideliss.

NEC NON

VIRIS Pietate Literisque spectatiss.

- D. D. HENRICO SAMPSON, M.D.
Olim in Aula Pembrochiana Cantabr. nunc in inclyto Me-
diorum Colleg. Londinensi Socio, nobisque in re medicâ
Instructori maximè honorando.
- D. D. SAMUEL SLATER,
SS. Euangelii Ministro, nobisque a Sacris, æternum co-
lendo.
- D. D. JOSEPHO RAPHSON, R.S.S.
Nobis amico omni honoris atque amoris cultu semper pro-
sequendo.
- D. D. JACOBUS COOK,
Medico ac Chyrurgo peritiss. nobisque amico omnimoda
laude digno.
- D. D. RICHARD CHAMBERLAIN,
Ecclesiae Anglicanæ à Sacris fideliss. quondam Præceptor
suo nunquam non memorando.

*Hanc Disputationem, qualem, qualem,
observantiae & gratitudinis ergo*

D. D. C. Q.

EDMUNDUS DEVIS, Aut. & Resp.



DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

D E

ILIACA PASSIONE.

T H E S I S I.

MOrborum funesta cohors , quæ miseros mortales infestare sollet , in duo summa genera , apud Æsculapii filios vulgo digesta fuit , in acutos nempe & chronicos , hi enim cum impe tu & periculo velocius , illi vero tardius magna que ex parte tertiis ad statum moventur .

I I.

Iliaca passio , de qua nunc est disquisitio , inter acutorum species recte annumeretur . Affectus hic dicitur εἰλέος τὸ τε εἰλένι vertendo sive volvendo , ubi deno-

4 DISPUTATIO MEDICA

denotatur vel pars s̄epissimè affecta vel affectus ipsius modus , quoniam in hoc morbo intestina obvolvi creduntur; aliis *Miserere mei* audit ob intensissimum dolorem & quod commiseratione maxima dignum sit malum , ut adeò non immerito hoc afflitti morbo miserere mei clamitent. A nostratisbus vocatur, intestinorum obvolutio, *The twisting of the guts.*

III.

Horrenda hæc est affectio , omnium fere judicio perniciosa ; eamque ex intestinorum motu peristaltico inverso ac præpostero originem ducere à Medicis expertissimis statuitur : inter quos Sydenhamus noster (de Morbis acut. pag. 49.) hunc affectum inter symptomata febribus supervenientia recenset ; eo quòd vomitus enormes qui febrium initio accedere solent , huic occasionem quandoque subministrare possint.

IV.

Ventriculi enim Mechanismus à Deo Opt. Max. ita constitutus est , ut , ope liquoris istius (qualisunque generis sit) per nervos in musculosas fibras instillantis hasque inflantis , sursum vel deorsum secundum animæ sensitivæ nutum , facile contrahatur , ut in confessò est. Quidni , urgente necessitate intestina etiam motu præpostero affici possint æquè ac stomachus? utrumque autem eundem numerum tunicarum eodem ritu conformatarum obtinere ; fibrillasque nerveas ab corundem gemellorum ramificationibus

bus (viz. Pari vago & intercostali ei appenso) derivarē observationibus anatomicis luce clarus appareat; ut consequenter sympathiam vel consensum viscerum istorum esse non mediocrem nobis concludere liceat. Quis ideo fidem adhibeat ventriculum, vomitionibus diris ac sēpe repetitis sine communicatione ejusdem motus deorsum, plus minus, ad intestina ei continuata, eādemque structurā mechanicā fabricata ex-cruciari posse?

V.

Nihilominus tamen nobis in hanc rem altius inquietibus, ac intestinorum situm, circumvolutionem & connexionem Mesenterio firmam explorantibus; succussionses ventriculi, fortissimas licet & frequentissimas intestinis remotioribus saltem, per dictum consensum impertitas, pro tanto malo producendo aptas natas vix fide dignum videtur. Certo certius si hi motus ventriculi præposteri per consensum tantum hunc morbum efficere valerent: in duodeno sēpius quam in Jejuno, in Jejuno sēpius quam in Ileo & ita de cæteris propter partium vicinitatem, hæc affectio nidulari deprehenderetur, quod experientiæ anatomicæ contrarium est.

V I.

Sin autem particulæ offensivæ ejusdem farinæ cum illis, quæ in febribus vomitiones feroce excitaverint, circulationis viâ, in intestinorum vasa delatae fuerint, quod dictæ concussionses in his partibus per-

A 3 con-

6 DISPUTATIO MEDICA

consensum excitatæ, per accidens hunc morbum producere possint, hariolamur.

V I I.

Nos itaque pace tantorum Virorum, heterogeneas sive aculeatas sive scabrosas, sive aliisvis figuræ irritantis particulas in fibrillarum nervosarum porulos vi quadam infigentes hosque obstruentes & distendentes hujusce morbi initium (æquè ac omnium aliorum morborum cum inflammatione originem ducentium) prædictum autem motum intestinorum præposterum, ejus effectum tantum haberi volumus.

V I I I.

His positis, nunc de invasionis modo sententiam nostram generaliter exponere accingemus. Cum enim humani corporis humores vel intra venas & arterias vel intra vasa lymphatica &c. fluitantes, salia diversis figuris prædicta inter se commista & complicata habeant eaque hoc pacto per totum corpus circumferri experientia compertum sit. Quidni particulæ hæ salinæ aculeatæ ab inflatione subitâ vel ebullitione inter partes propinquas concitatis, gladiolorum fritorum instar, per dictorum vasorum tunicas exiles jaculentur? & ita fibrillarum nervosarum poruli his spiculis pertundi possint? Ingressu vero hoc modo semel facto, statim particulæ consimilis figuræ, non electionis sed necessitatis causâ, alternatim, durante fermentatione, trajectæ fuerint infixæque manserint.

IX. Tra-

IX.

Tragedie Proœmio huc usque peracto, scenæ truculentæ ex improviso insequantur. Particulis scilicet, cuncolorum instar, nunc intra fibrillarum nervosarum porulos infixis, ut dictarum fibrillarum vellicatione irregulari & diffona harmonicus ille Rythmus (verbis Borelli doctiss. de motu Animalium Pag. 306.) quo spiritus animales naturali lege moveri apti nati sunt, perturbetur, necesse est. Hos autem spiritus animales, animæ sensitivæ decreto, ad hospites illos infestos excutiendos, fibrillas nerveas huc illuc convulsinibus furiosis exagitare credimus.

X.

Ataxiis his auctis, neque particulis offensivis diffusis, sed fibrillas adhuc altius & latius pertundentibus, symptomata atrocia hos subsecutura facile conciamus. Ab hac enim fibrillarum distensione & vellicatione (præsertim in his nervosis intestinorum tunicis) dolor vel Stoicorum *παθίας* superans & inflammatio oriuntur.

XI.

Cum verò morbo usque vigente, fibrillarum series compressionibus his violentis ruptæ vel quasi serra disiectæ fuerint, sphacelus inductus fuerit & deinde omnium hujus vitæ malorum ultimum mors in evitabilis successerit.

XII.

X I I.

A neotericis (experienciâ duce) non solum Ileos, sed etiam totus ductus intestinalis pro hujus morbi subiecto vel parte affecta agnoscitur; sive fistulæ totius constrictione circulari, sive alterius lateris intra peritonæum insinuatione & quasi strangulatione (ut *αὐλοπ-*
σία observavit Clariss. medicus quidam nobis Amicus digniss.) sive partis inferioris versus superiorem intrusionem, vel contraria, sive denique enterocele; nervorum vellicatorum convulsio truculenta nostrum affectum perfecerit. Refluxum autem humorum intra ductum inclusorum, ex fibrarum intestinalium motu inverso ortum, effectum tantum esse à mechanica partium structurâ dependentem volumus.

X I I I.

Hujusce affectus signa notabiliora sunt subita omnium per os assumptorum rejectio, nec non dolor intolerabilis, terebrans, uno vel pluribus locis fixus; insuper quæcunque per inferiora enematis forma injecta sint, è vomitionibus diris & saepe repetitis exantlantur, quod quidem signum hujus morbi *τραχογνωμονία* haberi potest.

X I V.

Quoad hujus affectus prognosin, ut plurimum lethalis audit; neque vix aliquem, sine summo vita discrimine, hunc morbum evadere putamus. Tametsi
(Dei)

(Dei Opt. Max. gratia) experti loquamur, fæminam juvenem, hoc morbo laborantem, adeo ut enemata quantumcunque acria, injecta, emetica fierent, etiam de dolore intensiss. uno loco, fixo, quam maximè conquereretur hæc misera &c., valetudinem sanam recuperasse. Huc spectat magni Hippocratis Aphorismus 44. §. 7. quibuscunque, inquit, à stranguria oritur Ileos, intra septem dies moriuntur, nisi accedente febre, copiosior effluxerit urina: cum nempe ab expertiss. illo sene Ileos à stranguria ortus omnino malum alia periculosæ plenum esse statuitur, materiam autem fabulosam stranguriam sæpiissime inducentem, quantitatem fæcis fatis copiosam continere extra controversiam est. Quidni particulæ hæ irritantes sive salinæ sive fabulosæ sint, in tunicas intestinorum nerveas (modo supra memorato) impellantur infixaæque hæreant? proculdubio ut convulsiones horrendæ hanc diætam affectus nostri aggressionem subsequuntur, necessaria urget consequentia: convulsionibus verò usque vigentibus, quis hunc morbum, hoc modo consummatum iri (ut suprà diximus) demiretur?

X V.

Sin autem ab hac iuncta convulsiva, inflammacionem & febrem inducente, particulas heterogeneas solutas & expulsas esse acciderit, statim Mechanismo corporis stupendo, hæ particulæ offensivæ sero involvatae, per vias urinarias amandentur; & ita hoc pacto patiens à morbi insultu fæliciter liberari possit. Secundum illud tritum, sublatâ causâ, tollitur effectus.

B

XVI.

10 DISPUTATIO MEDICA

X V I.

Hoc unum tantum addemus ad hanc prognoseos classem referendum; si nempe aliquis hoc morbo paucos dies laborans (qui intensissimo dolore jam nunc exeruciatus fuerit) derepente se sublevari percepit, hocce facto sine reliquorum symptomatum diminutione, propter Sphacelum nunc certo certius initiatum, patientem brevi è medio tolli, audacter pronunciamus.

X V I I.

Quoniam autem morborum humanorum extirratio fælix à medico præcipuè intendi debeat; ne nos de causis morborum procatareticis & remotioribus indagandis nimis videamur solliciti; ad reliqua properamus.

X V I I I.

Haec tenus itaque partem hujus morbi theoreticam pro viribus exponere conati sumus, nunc de parte ejus therapeutica; reliquum est ut dicamus. Indicationes autem curativæ à symptomatibus maxime urgentibus, si calculum recte ponamus, depromi debent.

X I X.

Imprimis enim dolor intensiss., (symptoma hujus morbi jam aggressi atrocissimum) tum phlebotomia, si phlethoricus fuerit Patiens, tum medicamentis vi narcoticâ præditis & in satis larga quantitate deglutitis confestim demulceri debet: (an hæc medicamenta spiritus

ritus animales partim inviscando , vel partim eos abigendo dislipando vel destruendo *crepicias* suam exercent , non est hujus loci inquirendum) convulsiones tamen fibrillarum nervosarum violentas refrænari & adeo dolorem ab his medicamentis mitigari , experientia quotidiana suffragatur .

X X.

Inter horum narcoticorum compositiones multò præclariores & usitatores , laudanum tum solidum tum liquidum numerantur , neque quidem cum prælaudato Sydenhamo (de morb. acut. pag. 190.) Medico nulli secundo,hic nobis temperemus , quin gratulabundi animadvertisamus Deum Opt. Max. *πάντων δωλείας εἰδῶν* non aliud remedium efficacius humano generi in miseriarum solamen concessisse , quam sunt Opiata , sine quibus manca sit ac claudicet medicina .

X X I.

Indicatio curativa secunda , priorem concomitans , à ductū Intestinalis constrictione & obstructione defumpta , nos suadet ; ut , pro virili nostra , humores per superiora rejecti , ex incontinenti deorsum inpellantur motusque intestinalium peristalticus & præposterus ad motum naturalem exemplò restituatur , in hunc finem primum Enemata emollientia ex oleis , Terebinthina in ovi vetello dissoluta , mucilaginosisque herbarum decoctionibus , confecta ; inter quæ usitatoria sunt ol. oliv. lini recenter express. Chamæmeli &c. folia Malvae , Althææ , Consolidæ majoris , Seminalini , Fænumgræci , Radices Consolidæ majoris , Glucyrrhizæ &c.

12 DISPUTATIO MEDICA

Quid si particulæ offensivæ aculeatæ his glabris & mü-
cilaginosis medicamentis inviscantur quasi irretiantur-
ve? saltem horum enematum lubricatione, fæces infra
obstructionem induratæ, dejectæ fuerint.

X X I I.

Enemate verò emolliente incassum adhibito, statim
injiciatur aliud acrius & magis stimulans (quantitate
scil. sufficienti Electuar. Caryocostini vel benedict. lax-
ativ. ei addita) his stimulis enim perturbantur spiritus
animales vicini, ut adeo hi spirituum supplemento a-
liunde delatorum animati, ad hostes illos expellendos
vellicationibus saepe repetitis fortiter contendant, for-
tasse ab hac lucta, partibus intestini intra ductus con-
strictionem fæliciter compressis & concussis, aliquid
in hoc nostro affectu emolumenti oriatur.

X X I I I.

Omnino tamen nobis curandum est, ut ne minima
quidem mora interposita sit, sed confestim deglutiat eger
dosin aliquam purgativam satis fortem, forma pilulari
sive bolari, è colocynthide nempe vel scammonio cum
aloeticis commixtis, quales sunt Pil. Rud. Pil. Coch.
minor. Pil. duobus (quibus aloes addi potest) vel per se
vel aqua menthæ dissolutæ, hæ verò per vomitum reje-
ctæ, toties quoties repetendæ sunt. Sydenhamus de
morb. acut. pag. 51. observavit frustra pilulas istas vel
quodvis aliud catharticum utcunque forte propinari,
donec ventriculo corroborato, atque adeo ad motum
naturalem reducto, intestina etiam ad proprium mo-
tum æquè reducta fuerint, alias enim (inquit) ca-
thartica

thartica omnia intus sumpta, emetica evadent & plus
damni quam commodi inferent: inde est quod reme-
diis purgantibus viam facere non aggreditur, donec
per spatum quoddam, medicamentis his ventriculum
respicientibus, usus fuerit. Primò itaque illud Riverii
stomachicum excellentissimum salis viz. Absinthii 9j. ex
cochl. j. succi limon. mane & sero sumendum præscri-
bit, intermedii vero temporibus aquæ menthæ stil-
lat. fine saccharo alio quovis additamento, cochlea-
ria aliquot bis quaque hora propinat, cuius vel solius
repetito usu & vomitus & dolor (ex ejus sententiâ
inde natus) subitè evanescent. Postquam autem dolor
cum vomitu per bidui triduive spatum omnino cessa-
verit, tum pil. purgantes in Aq. Menthæ dissolutas ex-
hibet &c. nostra tamen sententia, Medicamenta nar-
cotica melius & citius huic intentioni satisfaciant:
præfertim si narcotica unà cum catharticis commista,
exhibita fuerint.

XXIV.

Applicationes interim externæ in usum veniunt,
nunc itaque abdomen secundum intestinorum ductum
manu tepidâ, nunc linteis calidis duplicatis leviter fri-
candum est. Nunc laneis pannis duplicatis & in de-
coctionibus emollientibus (quibus addi debent spiri-
tus subtilissimi) immersis, partes dolore affectæ ca-
lide fomentandæ. Nunc Theriaca Andromachi super
Alutam extensa, nunc cataplasma calida ex farina
seculina & sp. vin. subtilissimi confecta, linteisque sac-
culis inclusa alternatim applicanda sunt, nunc catu-
lus vivens nudo ventri indesinenter accumbat &c.

DISPUTATIO MEDICA

Nunc sp. vini subtilissimi inflammato & parti dolenti, per infundibulum aptè locatum immisso , insistendum est, his cautionibus adjectis , si nempe ægri vires ferant, curaque summa adhibita , ut partes vicinæ laniæ pannis vel linteis circumcirca tegantur, tum spiritus exhalantes circa partem affectam colligendi tum Patientem à frigore defendendi causâ. Neque hic silentio prætereundum est, quòd hujus Medicamenti usū repetito, præclaros effectus , in morbis præsertim externis , ab obstruzione irritante originem ducentibus saepius experti fuerimus. Quidni spiritus hi subtilissimi, cutim, peritonæum &c. penetrent & deinde nondum vel constrictiōnem fæliciter dissolvant ? magnus Sydenhamus usum spiritus vini in ambustis magnoperè , nec immeritò , commendat (an in hoc casu spiritus hi summè volatiles , fibrillas fortiter penetrando , ut adeo particulæ igneæ intra fibrillarum contortarum porulos inclusæ , exhalent ; anne dictas particulas porulis infixas , intra vasa propinquā intrudendo , hoc malum fugiant ad disquisitionem nostram nihil attinet) vero tamen verius , obstrunctiones dolorificæ horum spirituum ἐνεγκέφαλος referantur. Quid mirum itaque si in nostro etiam affectu , à prælaudato Medicamento aliquid adjumenti oriatur ? præcipue ubi pars affecta sine profunditate nimia pertingi queat , omento verò in molem adiposam aucto , ab hoc vel ullo alio medicamento externè adhibitis, parùm emolumenti expectari debeat.

XXV.

His methodis diligenter , licet frustra per diem
unum

unum, alterum aut tertium continuatis, si res ferat, nulloque sphaceli, adhuc aggressi, signo comparente, magnoperè medico incumbendum est, ut (consideratis considerandis) mercurium vivum patienti citò præscribat. Hic autem observandum est ut dosis Mercurii in nostro affectu, Medicorum omnium neotericorum suffragio, multò magis quam in ullo alio morbo augeri debeat, cum nempe in aliis tot grana præscribi soleant, in hoc affectu tot unciae fere præscribi possint.

XXVI.

Nos autem (ut ingenuè fatendum est) hujus Medicamenti efficaciam, in affectu nostro nondum experti fuimus, nihilominus tamen eam satis laudabilem esse persuasum habeamus. Hisce enim oculis saepe viderimus hominem, qui non multis retro annis hoc morbo afflitis (ex narratione doctissimi cuiusdam Medici) Mercurii currentis usu copioso valetudinem sanam recuperasset. Homo vocatur nomine *Tyndall* unum tantum miliare circiter à LONDINO distans, tunc temporis habitans (ni fallimur adhuc vivit valetque) prædictus homo inquit, hoc affectu laborans, tres vel quatuor Mercurii vivi libras ingurgitavir, qui quidem per dies quatuor vel quinque intra duetum intestinalem moram fecit, via vero paullatim facta Mercurius vivus per inferiora dejiciebatur, adeo ut Patiens Mercurii dejecti quantitatem ponderans, exceptis paucis scrupulis inter excrementa amissis, cum illa quæ per os anteā assumpsisset eandem esse inveniret, prælaudatus Medicus ad nos etiam

16 DISPUTATIO MEDICA INAUG.

etiam curationem hujus morbi fælicem ab hoc Medicamento pro domina quadam juvēne *Londinense*, nobis nota, effectam communicavit.

X X V I I.

Dosis Mercurii per se ab uncia, ad secundam, tertiam, quartam vel quintam augeri possit; secundum Medici prudentis judicium. Mercurius hoc modo exhibitus (experientia teste) salivationem non ita facile excitat, cum autem hydrargyri particulæ, ab aliquo additamento, divisæ fuerint, ut patientis visum fugiant, certo certius ptyalismus inde oriturus expectandus sit.

X X V I I I.

Quoad regulas diæteticas in nostro affectu usitatores, eædem cum illis, quæ in aliis morbis acutis solennes sunt, religiosè observari debent. Sed ne ab hujus instituti scopo nimiùm aberrare videamur, nunc manum de tabula amovendam iri putamus.

C O R O L L A R I A.

- I. *Doloris etiam intensissimi levamen, prognosticon lethale prebere possit.*
- II. *Particula heterogenea intrafibrillarum nervosarum porulos intrusa, hosque vellicantes & distendentes, causa doloris sunt.*
- III. *Sphacelus ab erosione fibrillarum nervosarum producitur.*
- IV. *Fibrillis vero nervosis totaliter ruptis, quod partes ex improviso insensiles fierent, necessaria urget consequentia.*
- V. *Narcotica catharticis addita, purgativi operationem sapissime angent.*

F I N I S.